
PAMFLET
1568

HORTATIO

Ad amplectendas belli Belgici Inducias,

Authore IVLIANO ROSBECIO.

Anno CIↃ IↃ CIX.



Pro
Oratione Iuliani Rosbecij,
ad Lectorem μέλος ἀπολογητικόν.


Ratio ista, quam dedit Rosbecius
Placere debet omnibus, quos æquitas
Adspexit, atque in judicando integritas.
Ipsum locum videtis & Rempublicam,
In qua recens hæc nata dissertatio est?
Domicilium sedesque libertatis est,
Quæ sentiendi mens quod æqua concipit,
Et proferendi liberè quod senserit,
Licentiamque jusque civi dat suo.
Decreta Patrum? quicquid a primordiis
De pace, vel suspensione prælij
Negotiatum huc usque clanculum fuit,
Id ilicò omne dißipatum perfluit
In vulgus: ut non difficulter quiverit
De rebus imperij quis arbitrarier.
Et Patriæ ergo lex, reique nuditas
(Nulli patentis in Monarchico statu)
Calumniæ partem bonam represserint.
At alia nubes veritati offunditur
Iam dimovenda. quippe crimini datur,
Hostilitatem verius, quàm Patriæ
Spirare amorem. in posterum quod ne putent,

Orationis

Orationis audiant summarium.
Rex, Archidux pacta offerunt æquissima
Pacis sequestræ. exosculanda humanitas,
Et fas coire. namque si per Ordines
Creabitur conclusioni obstaculum,
Causam fovebimus malam, civilis &
Nosmet manebit pœna sanguinis reos.
Negas? & hosticum calens cor increpas?
O imperite, isthæcce qui ROSBECIVM
Suopte credis e cerebro fundere.
Cognosce rem. Recens videtur quæ tibi,
Dudum vetus præjudicata opinio est
Ab arbitris non queislibet (ne replices)
Sed jure nullo quos queas repellere,
Galloq; Britannoque rege, Pacis his
Quos interesse rebus exultavimus.
Quorum favorem opemque per pericula
Reapse egeni sensimus sæpissime.
Queis cura nostri & æquitas cor imperat
Vllâ absque circuitione proloqui.
Iis stetisse hanc primitus sententiam,
Oracla vocis aureæ firmant fidem,
Quæ regiis emissa ab oratoribus
Solis fuere visa Patribus prius,
Ast omnium jam nunc teruntur ab manu.
Si culpa in his, culpandus & ROSBECIVS,
Quorum ipse testimonia opponit sibi.

Plura habeo, sed nunc hæc abunde expleverint
Queis mens benigna, & iudicij propensitas.
Sinister ille, affectui obsequens malo,
Nil in solutum quamlibet rectum capit.
Quem tantum abesse a laude vera censeo,
A crimine meus quantum abest ROSBECIVS.

AD EVNDEM.

QVem bella, civicusque delectat furor,
Et mutuo cruore perpetim madens
Fraternus ensis, non homo dici meret.
Pax est triumphis una millibus prior,
Pax est bonorum mater omnium ferax,
Alumna cœli, pignus auri pondere
Nullo æstimandum. te vocamus, o diu
Negata Belgis, effer optatum jubar!
Vel si potiri non datur tali bono
Annos per omnes absque metis temporum,
Saltem sequestra pone terminum malis,
Interquiescat horror armorum, quibus
Per lustra jam tot invicem quassi sumus.
Tu Belga, quisquis publico bono studes,
Adverte mentem orationi, quam pio
Succensus œstro dat tibi Rosbecius,
Qui præpotente quum sit eloquentia
Nulli secundus, hinc tamen laudem sibi
Non captat ullam, seque censeri cupit
Amore solo pacis, atque patriæ.

FINIS.



MNES qui aliquo humanitatis ſenſu ducuntur, quique benevolo animo affecti ſunt erga nomen & nationem Belgarum, ſicut illacrymari coguntur noſtris miſeriis & calamitatibus: ita nunc ſummis in cœlum laudib. efferre debent eximiã illã manſuetudinẽ, incredibileq́. ac propè divinam animi moderationem, quâ Rex Hiſpaniarum & Sereniſsimi Archid. impulſi, faſces ſuæ Majeſtatis ſubmittũt, nec vllas quãlibet novas & invſitatas conditiones repudiant, dum feſſos civilibus bellis populos ad beatum pacis ac tranquillitatis portum provehere ardentibus votis exoptant. Non fuit hoc inceptum humani conſilij, ſed a cœleſti nutu atque inſtinctu profectum eſt. Deus, inquam, O. M. in cuius manu ſunt corda Regum, hanc mentem iis divinitus inſpiravit. Vix enim vnquam fando auditum eſt, aut legendo compertum, tantam in tali faſtigio demiſsionem extitiſſe. Libet ſæpiùs iterare quod dixi,

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ
Proveniunt, neque nos mortalis dextera ſervat, *Æneid. 12.*
Maior agit Deus, atque opera ad majora remittit.

Sæpenumero, Auditores, mecum ipſe meditari ſoleo, & præteriti temporis memoriam evolvere, quo ſi quiſpiam hos rerum eventus, hanc magnam fortunam præſagire nobis intendiſſet, non ſolum vanus

augur

augur, ſed inſulſus & commotæ mentis homo judicatus fuiſſet. Vos rerum temporumque conſulti noſtis me vera loqui. Equidem quò mecum impensiùs ipſe reputo tanti beneficii magnitudinem, vix eam animus capere poteſt, laborque ſub onere admirationis. Hæc enim vnica palma facilè vincit omnes laurus ac triumphos, quum potentiſsimi Duces cogunt in ordinem, & publicis vtilitatibus poſtponunt ſuos affectus; frenant libidinem dominandi, quæ ſolet in excellentibus naturis ſedem regni conſtituere: compeſcunt cupiditatem vindictæ, quâ nihil eſt in pectoribus humanis vehementius, aut quod rectorem ægriùs patiatur: iracundiam moderantur, quæ eſt inimica conſilio & ſanæ rationi. Principium igitur huius facti tam præter ſpem & opinionem hominum ingentis, fato & cœleſti providétiæ eſt imputandum. Tum autem nativa bonitas, quæ præcipua eſt virtus heroicarum & illuſtrium animarum, ad hanc rem impulſor fuit: parſimonia humani ſanguinis, miſericordia pereuntium populorum; ſalus civium, quæ ſuprema lex eſt actionum præſtantiſsimarum. Non ego in causâ Patriæ prævaricator, adverſariorum patronus hucacceſsi. neque verò tutum aut conſentaneum foret. Tamen illud affirmare audeo, ſi de animis eorum vero ſimiliter conjectare velimus, eos benignitate & clementia adductos, non vi aut neceſsitate compulſos, ad præſentaneam nos Pacis vel Induciarum

duciarum

duciarum pactionem invitasse. Quis enim terror, quæ vis aut necessitas effecit, vt eò delaberentur animæ terroris expertes, & corda vinci nescia, nisi vis fortè lenitatis & clementiæ, quibus ducibus qui se regendum permittit, is, vt cum Plauto loquar, victor victorum cluet? *In Trinummo.*

Horat.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & uterque Pœnus
Serviat vni.

Nunquam enim Regum ac Principum sublimitas celsius assurgit, quàm cum se ob publicam salutem demittit, secura magnitudinis suæ, cui nullum impendet ex humilitate discrimẽ. Hæc laus defuit summis terrarum Monarchis, qui quum omnia subjugassent, cupiditatibus suis succubuerunt, victi ab animi impotentiâ, ab iracundiâ. Quis Alexandro Magno rebus gestis comparandus est? Domuit gentes immanitate barbaras, numero infinitas, locis disiunctissimas, omni paratu copiarum abundantes. At cùm totum penè orbem infra majestatem suam cerneret, animo imperare & vitiis suis ius dicere nequivit. Hinc multa cõtra decus honestatis patravit, dum vino & irâ victus in amicorum intimos parricidiale ferrum stringit, ac viros sanctitate morum, & sapientiæ studiis insignes per tormenta fœdè trucidari præcipit

cipit. Itaque Cicero

Flos illibatus Populi, Suadæque medulla,

non dubitat in præclarâ illâ pro M. Marcello oratione cunctis bellicis laudibus ac trophæis I. Cæsaris, anteferre clementiam & placabilitatem animi, quod sepositis suspicionibus & offensis, Marcellum Senatui populoque Romano & Reip. concesſiſſet ac redonaſſet. Igitur niſi turpiſsimam ingrati animi notam incurrere velimus, immortales gratias & habere & agere debemus sereniſsimis Principibus, ob tam illustre meritum ac prorsus insperatum, & memorem animum ingentiſq; voti reum profiteri. Quum enim omnes & singulæ induciarum ab illuſtribus Galliarum & Britanniæ Legatis propoſitarum conditiones honeſtiſsimæ sunt, Patriæ neceſſariæ, bonis exoptatiſsimæ; tum vero vna quædam in illis eſt, quæ ſupra cęteras caput effert, & a qua eædem omne robur suum atq. firmitatē accipiunt. Nam qui pro Patria noſtra in libertatem adserēda tam atrox, tam diuturnum, tam denique calamitoſum bellum cum Rege Hispa. geſsimus, hac tempeſtate ſummam votorum conſequi poſſumus, & non noſtra ſolum opinione ac ſenſu, ſed adverſariorum quoq; adſenſu, ampliſsimo Libertatis titulo beneficioque frui. Hæc prima & potiſsima Induciarum conditio eſt, quæ non doloſè, aut captioſo verborū circuitu, ſed diſertiſsimis vocibus, & luce meridianâ clarioribus exprimitur. Felicem

magnam-

magnamque Patriã isthoc nomine! cuius gloria & amplitudo tãta est, vt si dignis eã prçconiis celebrare iubear,

conantem debilitaret onus.

Quod vsque huc nunquam sperare, vix timidâ votorum nuncupatione efflagitare fiducia fuit:

quod optanti Divum promittere nemo Æneid. 8.

Auderet, volvenda dies en attulit vltro.

Sed quid est? resilit patria formidine plena, & tam ingẽs, tam inusitatũ, tam deniq; insperatũ beneficium rectis oculis intueri, & secura mente arripere nescit. Nã plebeiæ mentes quia intellectu non percipiunt naturã heroicorum pectorum, in quibus seorsum tam excelsæ virtutes habitant, falsas nobis causas vanosque metus fingimus, quasi libertati nostræ per ambitiosam ostentationem, & imaginariam recognitionẽ fraus fiat insidiæque parentur. Videlicet in summis felicitatibus, & sorte nimis secunda obstupescit verius humana mens, quam lçtatur, quia veretur ne subitũ illud bonũ repentina calamitas & miseranda vicissitudo consequatur. Similis quædam formido, terror aut suspicio nostros homines incessit, qui quid hic latere, & quid tam speciosa libertatis recognitio portendere possit, etiam atque etiam expendunt. Sed vtinam expenderẽt tantũ, & non formido in odiũ, tergiversatio in pervicaciam, cautiones deniq; in scommata & opprobria sceptrorum conversæ essent. Sunt enim nonnulli homines, qui omnia sinistrorsum detorquentes, odio & avaritiâ pleni, dictis factisq; conati sunt

Ordinibus fucũ facere, & turbulẽto molimine vniversum pacificationis negotium impedire, quod minimè erat ferendũ. Insidias enim, quas histriones illi se metuere simulatè proclamant, non eo vsq; æstimari fas est, vt earundẽ causa repudiemus præclaras rerum vtilissimarum conditiones: verùm vt consilium capiatur, quî salvâ Induciarũ spe, dolis & fraudibus multò jam ante obviã eatur. De quo quid ambigimus? Si enim Ordinibus vigilantissime ad omnia intentis non defuit prudentia, per quã pericula ex Induciis verosimiliter nascitura prospicerẽt: nefas sit dubitare, quin vt in bello, sic & in pace facilè cavebũt, nequid Resp. detrimenti capiat. Nã in ocio serio cogitabunt de negotio, quia cum curis solutus est animus, tum maximè quod verum rectumq; est cernit: & (quod præ formidine aut sollicitudinibus intellectus aciem perstringentibus nequibat) venturos rerũ exitus sanis rectisque oculis intuetur. Verum, vt illuc redeam, mirandum non est, si Pacis omnẽ mentionem, tanquã occursum inauspicatæ avis aversentur, præsertim ij, quibus in campo Martio seges & materies est gloriæ, copiarũ, potẽtiæ & autoritatis: nec desint illis populares ac speciosę rationes, queis privati lucri causa imponant imperitæ multitudini, & in invidiam vocent quicquid ab adversa parte tam liberaliter offertur: omni tempore timẽdos esse Hispanos, præcipuè autẽ dona ferentes: latere anguem in herbâ, non fidendum hostibus recõciliatis. hoc agi, vt resumptis viribus acrius ad pugnam redeant, & ex improviso nec opinantes adoriantur. ex adversariorum

opinione fidem hęreticis atque rebellibus non ſervandã. denique ea quæ ſunt juris regij, majeſtatis & ſupremæ rerum poteſtatis, nulla pactione cedi poſſe, nullo tempore præſcribi. Quid multa? Cauſas omnes curioſa indagine veſtigant, quibus ad diffidentiam, tanquam ad vnicum ſecuritatis aſylum ſuos deducant, nequid vſquã tutum, nequid ſanctum & inviolatum eſſe arbitrẽtur. Nihil mihi factu promptius eſſet, quam ad ſingula reſpondere. Sed ne in nimis longum excreſcat oratio, ſatis ſit perſonam hiſtrionicam detegere, & animos ſub vulpe latentes in lucem atque ſub aſpectum proferre. Haud dubiè enim eos, qui ſic in hac rerum temporumque ſcena ſermocinantur, non ex incorrupto animorum ſenſu loqui exiſtimandũ eſt, ſed partim aliorũ præjudicatis opinionibus velut æſtu quodã abripi, & inſtar pecudum ſequi antecedentiũ gregẽ; partim ſub velo boni publici, quod eſt mãtile & everriculum multarũ malitiarum, ſuã rem agere, & privatis cõmodis atq; utilitatibus ſtudere, quæ ſemper offecêre & officient publicis conſiliis. Satius foret, vt ſepoſitis aliis cogitationibus, omnem curam, prudentiam & ingenij ſolertiam in commune bonum dirigerent, ac ſerio tandem meditarentur finire miſerias, quibuſcum per tot annos infelix patria conflictatur. Metuere liceat, ſapere libeat, & formido noſtra nõ ab vaniſſima rerum imagine, longeque petitis ſuſpicionum portẽtis, ſed a rectis judiciis & publicæ incolumitatis reſpectu, moderamen accipiat. Sed nec fortunæ proſperi-

tas, aut virium nostrarũ fiducia spiritus attollat. Nunquã enim magis de bello finiendo cogitandũ, quam post victorias ac triumphos; quo scilicet tempore præclaris firmisq; pactionibus & legibus pacis cõsulendi Patriæ facultas datur. Quo nobis ante alios majore animorũ propensione inclinandum arbitror, quippe qui non nostro solum Marte, sed externis præsertim copiis atq; opibus adjuti, bellum hactenus gessimus cum potẽtissimo terrarum monarcha. Quanquam si Resp. nostra tam bene esset cõstituta, vt ad belli continuationẽ propriæ nostræ facultates & vires sufficerent, non esset prudentium certa pro incertis mutare, cum tam multiplices sint vitæ casus, tam anceps alea rerum humanarũ, vt frequentius ex transverso incurrant quæ non formidamus, quam quæ jucũdæ opinionis palpo nobis imaginamur. Proclivissimũ est homini temerario & incircũspecto honestas Induciarũ Pacisve conditiones aspernari. Cuivis etiam imbelli atque ignavo licet inchoare bellum: sed ægerrime desinit, nec in ejusdẽ illius manu est auspiciũ & finis. Incipit, cum alterutri partiũ displicet pax, & pruriunt cornua. Desinit arbitratu victoris, aut alterius internecione. Vnius horulæ momẽtum, vniusque prœlij fortuna subvertere potest quicquid magno molimine per plures annos exædificatum est. Nusquam minus quam in Martis certamine eventus respondent. ἥκιστα γὰρ ὁ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, ait Thucidides. Etiam optime deliberata & prudenter administrata non raro sortiuntur infelicem exitum

tum. Non enim eodem animo de bello gerendo consultatur, quo ad gerendum acceditur. Facile est enim homini togato replere Curiam verbis, quæ tuto volant

dum distinet hostem *Æneid. 9.*

Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.

Sed cum in rem præsentẽ veniendum est, & manus conserendæ cum hostibus, illic virium nõ eloquij certamen cernitur, illic animi nõ cõsilij præsentia requiritur. Adde quod & fortissimum quemque Mars pignerari solet,

Mors & fugacem persequitur virum, *Horat.*

Nec parcit imbellis iuventæ

Poplitibus, timidoque tergo.

Quantæ ergo temeritatis fuerit, imo demẽtiæ, quum tãto simus adversariis inferiores, sive dignitatẽ consideres, sive potentiam, superbo fastu aspernari tam vtilem, tam honestã, tam deniq; tutam conditionẽ? Tutam aio, quia sincero affectu, citraq; fallaciã nobis eam propinari censeo. Enimvero nisi Rex Hisp. & Archiduces affectu & voluntate cum pastore populorum & rege regum Agamemnone conspirarent, qui aiebat,

βέλομ᾽ ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. *a Velo ego populum salvum esse potius quã perire.*

nulla vi vnquam, nullo metu adducti essent, vt ex æquo cum hostibus suis paciscendi gratiâ ex solio in planum descenderẽt. Errat enim largiter, & hostium vires ac potentiam nimis imprudenter æstimat, si quis putat eos in hujusmodi rerum angustias esse conjectos, vt inferioribus Majestate sua conditionibus augustam existimatio-

nem fœdare cogantur. Sed videlicet (quidni enim liceat & in hoste laudare virtutē?) stimulavit eos bonū publicum, a quo vinci pulcherrimū est victoriæ genus. Vtinā redire lubeat in memoriā præteritorum, quibus nempe seriò bonaque fide discussis, proniores essemus ad cupidè arripiendas rerum præstantissimarum cōmoditates, quæ nobis divinitus offeruntur. Vtinā sine partium studio, sine gratia vel odio, pessimis cōsulendi arbitris, nudā veritatem levato opinionum velo cōtemplari, sanisq; judiciis a falso secernere valeamus. Sed nec decorum est homini privato, nec tutum subdito vocare in dubium fundamenta publicæ causæ. Fuerit quædam maior vis, quædam cælo missa calamitas, & ineluctabilis fatorum series, quæ miseros cives

Æneid. 1. *Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos*

ad arma funesta protraxit. an ideo necesse est in perpetuum ac sine vlla respiratione a ἄσπονδον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μαχέσθαι? Nam quis erit modus sæviendi in mutuā perniciem? grassandi in Patriæ viscera? fundendi fraternū sanguinem? Quando tandem finem videbimus tot malorum & exitiorum, quæ iam per annos 40, & quod excurrit, nos minutis ictibus cædunt, vt perire nos cotidie sentiamus, vel quod deteriùs est, ne sentiamus quidem? Nam si seriò morbum agnosceremus, & nisi longa patiendi consuetudo callum sensibus obduxisset, ad medicinam ægra Patria confugeret, nec remedia vltro oblata rejiceret atq; aspernaretur. Omne bellum per se miserum

a *Allusum ad Ἰλιάδ. β. Irreconciliabile appetere aut gerere bellū.*

ſerum eſt & calamitoſum: nullum infelicius bello civi-
li & inteſtino.

a ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

a Gente focoque caret, nec fas aut fœdera novit, Qui cives inter cupit exitiabile bellū.

Is eſt ex numero civium ejiciendus, imo ex finibus naturæ humanæ exterminādus, tanquam monſtrum quod luſtro piari ſolet, & in vltimas terrarum oras deportari, quem diſcordiæ, quem cædes civium ſua ſponte delectant. Pia & ſancta bella Chriſtianorum non ad internecionem contrariæ partis ſpectare debent, ſed hunc ſcopū oportet eſſe propoſitū, vt laurea triumphi cedat Palladis olivæ, nec aliud armorū præſidio quæratur, quam vt in pace ſecurè vivere liceat. Huc vt pertingat Reſp. noſtra, num auſpicatius tempus exoriri queat, quam quod nobis in præſentia non ſine nutu divini numinis obtingit? Summi Principes & latiſsimè regnantes domini pertœſi tot acerba caſuum & calamitatum, quæ civilibus bellis indivulſæ comites adhærent, eò maieſtatem ſuam dejiciunt, vt ne quidē conditiones nimisquam exorbitantes & abſonas ſubire vereantur, modo vel per imminutionē ſuæ majeſtatis via muniatur ad Sacellum Divæ Pacis. Etſi Reges nunquā majores ſunt & auguſtiores, quam cū ſeſe ad humanitatis officia comiter ſubmittūt. Neq; enim tali faſtigio vllū imminet a benignitate periculū. Semper illos celſitudo ſua comitatur, ac nihil detrimēti capere poteſt vera magnitudo Heroum b καὶ διοτρεφέων βασιλήων, licet æquas cū inferioribus pactiones inire dignētur

b Ab Iove nutritorum regum

Nullâ

Nulla re mortales accedunt propius ad divinæ naturæ ſimilitudinem, quam ignoſcendo lapſis, obliviſcendo injuriarum, conſolando afflictos, denique ſalutẽ impartiendo quã plurimis, & ſervando etiam ſervari nolentes. Humanitas & clementia hominem cœlo adſerit: &, vt olim acclamabãt Athenienſes Põpeio vrbẽ ingredienti,

a ἐφ᾽ ὅσον ἄνθρωπος οἶδας, ἐπὶ τόσσον εἶ θεός.

Sceptrigeros Reges etiam invitos ſubſequitur ſua majeſtas. Procul eos ſummovent ab invidia & contemptu non ſolum faſces Imperij,

b Οἷς λαοί τ᾽ ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

verum etiam ipſe Deus, qui Reges & Regum apices ſacro honore extollit.

c Τιμὴ δ᾽ ἐκ Διός ἐστι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς.

Quin ergo cognoſcimus felicitatem noſtram ex Regali atque Archiducali manſuetudine prognatã? Quin quò fata & Principum benignitas vocant, fauſto pede imus? & projectis infelicibus telis, dexteras fidei & amicitiæ ſacras jungimus cum noſtro ſanguine, cum fratibus, qui & linguæ conſortio, & patriæ ſocietate, & ſanctiſsimæ neceſsitudinis pignore ſunt nobis conjuncti? Sed videlicet vt in corporibus hominũ quidã ſunt morbi, qui ſtupore ſenſum præpediunt, vt ciborũ ſuavitatem deguſtare non valeant: ita nos fatali quodam malo perſtringente mentis aciem, bona noſtra non intelligimus, & obſequentẽ fortunã ultro nobis oblatam intromittere non dignamur. Inſidias metuere fingimus, ingenioſique ſumus

a *Quæ ſtudes homo vocari, dignus es dici Deus. Plutarch. in vita Pomp.*

b *Queis populi commiſſa ſalus atq; ardua rerum.* Ιλιαδ. β.

c *Ab Iove Regis honos hunc diligit ipſe Deûm Rex.* Ιλιαδ. β.

mus in exaggerãdis causis malignarũ suspicionum, ne pacis vnquã ægra Patria compos evadat: quæ tamẽ sola potest mederi rebus afflictis, & honori pristino restituere spes opesq; Belgarum. Plato princeps ingenij ac doctrinæ literis prodidit apud Arcadiæ populos anniversarium sacrificiũ Lycæo Iovi solitum esse celebrari, in quo tum alia quædã animalia, tum etiã vivi homines immolabantur: quorum carnes & viscera promiscuè cum visceribus aliorum animantium mixta, ad epulandum cõvivis apponebantur. Cui autẽ obtigerat humanis carnibus vesci, in lupum eum trãsformari credebãt, & cum eo genere ferarum per saltus ac nemora divagari. Huc nimirũ spectat fabula ad effigiẽ naturæ & veritatis accõmodata, vt perspicuum fieret eos qui semel incepissent cædibus & mutua internecione grassari, naturã ipsã exuere, & in agrestes immanesq; belluas degenerare. Mithridatẽ etiam Ponti regem ferunt quũ se cõtinenter antidotis adversus venena præmuniret, hoc tandẽ effecisse, vt in naturã consuetudo mutaretur, nec sibi sumptis mortiferis potionibus necẽ afferre posset etiam quum omnino mori decrevisset. Vix adduci possumus vt fidẽ habeamus priscis scriptotibus, cum talia legimus cõsignata monumentis historiarum. Sed incredulitatẽ eierabimus, & admirationis desinemus, si bona fide velimus in nosmet ipsi inquirere, & feri[t]atẽ nostrorum morum atque temporum rectis oculis contemplari. Quotusquisq; enim nostrum est, quẽ immania hæc bella non adeo efferârunt, vt & malo suo gaudeat, & omnem

 huma-

humanitatis ſenſum ex animo ejeciſſe videatur? Quum nihil ſit in rebus mortalium & nomine pacis dulcius, & re ipſa magis ſalutare, magisque conſentaneum cum officio & ingenio humanę naturæ: tamen ita plerique obduruimus ad miſerias & calamitates noſtras, vt ſolam Pacis & Induciarum appellationem, tanquã infames ſcopulos, aut ſiniſtri ominis augurium exhorreſcamus. Quod ex eo facile liquet, quod non contenti humaniſsima declaratione, qua Status unitarum provinciarum agnoſcitur populus liber & αὐτόνομος, cui pro arbitratu liceat vti ſuis legibus, ſuis moribus atq; inſtitutis; poſtulavimus inciviles quaſdam ceſsionum formulas, quæ nihil vtilitatis aut cõmodi afferebant, præter dedecus & opprobriũ ſceptrorum: vt facile cuivis homini non prorſus excordi appareret nihil aliud quæri, quam vt hac monſtroſa petitione negotiatio diſturbaretur. Si male vellem ominari Patriæ, non poſſem quidquã infauſtius noſtris hominibus imprecari, quã vt in tali pervicacia & importunitate perſeverent, vtq; per improbitatem ea cuncta tandẽ conſequantur quæ flagitant, & his etiam plura. Nam ſi in cœlo Deus eſt inſpector & arbiter humanarũ rerum, qui majeſtatem Regum adſerit, & Nemeſin ſanguineo armatam flagello gentibus immittit, ad puniendum ſpes nimis elatas atque immoderatas, non eſt dubium quin gravis exitus incumbat cervicibus eorum, qui tam intemperanter ſceptris illudunt, dum eas conditiones populi olim ſubditi Sereniſſimis terrarum dominis depoſcunt, quas nemo privatus

ſubire

ſubire in animum induceret.

Evertere domos totas optantibus ipſis Iuvenal.
Dij faciles. nocitura toga,nocitura petuntur
Militia.

Vt olim fatuus ille Phrygiæ rex Midas,qui pretioſo contactu omnia cõvertebat in aurũ,inter medias opes inops, hoc ipſo gravẽ ærumnam incurrit, quod voti compos a Baccho redditus eſſet:ita nos vitiis noſtris & diſcordi libertate cõcidemus,ſi ad metã omnium male optatorum pervenerimus. Quã bene in nos congruit,quod de P. Romano affirmat apud Tacitum Galba Imperator in aurea 1. Hiſt. oratione qua Piſonem adoptavit? nec totã ſervitutem pati poſſumus,nec totam libertatem. Queri ſolemus de Regum Ducumq; inclementia. Sed eorũ qui parent ingenia ſæpe huic incõmodo mederi queunt,ſi cõpeſcant ardorẽ nimiæ & effuſæ libertatis, & obſequium cum ſecuritate malint,quã cum pernicie cõtumaciam dedignationẽque parendi. Quoniam in eum ſermonẽ nos occaſio deduxit non poſſum quin orationi intexã aureas voces T. Quin- Livius 33. lib. ctij Flaminij,quas tanquã ex oraculo effatus, & non ſolũ Græcis,ſed noſtris quoq; Ordinibus,qui ſummæ rei præſunt,arrectis auribus hauriendas,& intimis ſenſibus defigendas obſervandaſque propoſuiſſe videtur.

Libertate modicè utantur. temperatam eam ſalubrem & ſingulis & civitatibus eſſe. nimiam & aliis gravem, & ipſis qui habeant effrenatam ac præcipitem eſſe. Concordiæ in civitatibus Principes ac Ordines inter ſe, & in comune omnes civitates conſulerent. Adverſus conſentientes nec regem quemquam ſatis validum, nec tyrannum fore, diſcordiam & ſeditionem omnia oportuna inſidiantibus facere: quum pars quæ domeſtico certamine inferior ſit, externo potius ſe applicet, quam civi cedat.

Quare

Quare si dubitamus mentem in melius flectere, quo tamen consilio nullum salubrius eligere possumus, semperque integrum est viro sapienti pœnitere: saltem fruamur beneficio Induciarum, quas si temperanter bonaq; fide habuerimus, optima spe sustentor fore, vt exinde pax æterna & inviolabilis consequatur: cuius sensus tanto suavior erit, quo sævioribus bellorum procellis per tot annos jactati fuimus. Quid enim vltra tendimus? An nõ jam satis intepuit ferrum mutuo fratrũ & popularium sanguine? Quin positis in cõmune odiis, manus infestas vertimus in juratũ illum hostẽ Christianarũ gentium, qui florentissimis Europę regnis exitium, aut servitutẽ quavis morte atrociorem minitatur, dum validas vires in Patriæ viscera cõvertimus, & atterimur civilibus bellis? Illic seges & materies est uberrimæ laudis. Illic in omnem eventum patet campus ad sempiternã gloriam. Aut enim honesta mors immortalitate donabit victos in tam præclaro certamine, aut parata erit palma victoribus. Hæc verè sacra militia est, propagare decus ac dignitatẽ nominis Christiani, Turcis & infidelibus bella parare, qui non tam sua virtute, quam nostris discordiis formidabiles & potentissimi evasere. Si hæc nostra fortitudo exercitata cædibus consanguineorũ populorum, sese in capita ac perniciem cõmunium hostium effunderet: non est dubitandũ, quin hujusmodi pios conatus Deus ille exercituum fausto sit exoptatoque fine terminaturus. Dixi.

